Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3315
Quelle:
Copyright:

propter defectum vite, *Secundum quod heretici propter defectum doctrine*, *Tertium quod Simoniaci propter defectum vere iusticie sunt falsi prophete.* Sermonem hunc etiam in *Cod. Blavifont.* existere testatur *Schelb.* T. XI. *cit.* p. 215. E nostro vero memoratur a *Mansio* ad *Fabric. Bibl. med. Lat.* L. XII. p. 58.

XVIII. *fol.* 158. *Sermo predicatus in festo corporis christi per Reuerendum patrem et episcopum firmanum de Ordine minorum in Concilio Constan. Anno domini M°. CCCC°. 16.* In Catalogo eorum, qui a. 1416. Capitula in Concilio concordata adprobarunt, *Johannes* dicitur T. XVI. *Concill. col.* 323. *Formanum* cognominat *Ughellus* T. II. *Ital. sac. col.* 714. nihil tamen de professione religiosa addit. Sermonis, quem etiam *Codex Blavifont.* apud *Schelb. cit.* continet, initium est: *Caro mea vere est cibus. Scribitur Joh. VI. et in ewangelio instantis festiuitatis. Vt christi carnis deifice sacrum queam misterium, quo latet in altari, quodque viuens mirifice gratis datur edulium discipulis, effari* &c. Versatur in sex Sacramenti hujus Proprietatibus exponendis, unde per intervalla ad vitia Cleri perstringenda digreditur.

XIX. *fol.* 166. *Sermo Bernhardi Baptisati ordinis sancti Benedicti de Gasconia predicatus in Concilio Constan. dominica vndecima post festum pentecostes. Anno &c. 16.* Annum 1417. ponit *Hardtius*, qui *Sermonem* nostrum dedit T. I. P. 18. p. 879. Inchoat: *Duo homines ascenderunt in templum* &c.

XX. *fol.* 176. *Sequitur Sermo Theobaldi sacre Theologie professoris ordinis sancti dominici factus in Concilio Constan. dominica XI. post pentecostes. Anno &c.* XVI. Vix credibile *eadem* Dominica duos fuisse *Sermones* habitos, ideoque erratum putem in praeced. *Sermonis* titulo, rescribendumque *decima* pro *undecima*, quod et evincit Evangelium: *Duo homines* &c. non *undecima* sed *decima* in Ecclesia legi solitum. Evangelium vero, in quo praesentis *Sermonis* Thema: *Bene omnia fecit* &c. continetur, rite legitur *Dom. XI. post Pentec. Hardtius*, qui hunc quoque *Sermonem* T. I. P. 19. p. 898. publicavit, contra *Codicis* sui cum Nostro conspirantis adsertum Dominicam hanc mutavit in *XII. post Trinit.* annum vero in *Cod.* suo invenit 1417. Conditio Oratoris, quam ignoravit, e *Cod.* nostro in *Quetifi* et *Echardi Bibliotb.* T. II. p. 822. transiit, qui T. I. p. 757. solam Viri patriam *Saxoniam* notaverant; *Sermonem* vero ejus ab *Hardtio* editum fuisse, illos latuit.

XXI. *fol.* 186. p. 2. absque inscriptione *Sermo* habitus de laudibus S. *Augustini* in illud: *Doctor Legis surrexit*, *Luc. 10.* ut legitur *Dom. XII. post Pentec.* quam Orator *sequentem* vocat. Initium: *Reuerendissimi in christo p. celeberrimique domini mei metuendi sacrosancte Romane ecclesie*

Car-